

Franz Wolf Heinrich Sivertz

Iustitia Originalis Protoplastorum Naturalis

Rostochii: Richelius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740907379>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 17. Febr. 1697

Wolfius, Frc./h

I. N. J.
**JUSTITIA ORI-
GINALIS PROTO-
PLASTORUM NA-
TURALIS,**

Moderante & auxiliante DEO T. O. M. consen-
tiente Pl. Rev. Facultate Theologicâ,
PRÆSIDE

VIRO Magnifico, Summe Reverendo, atqve
Excellentissimo

DN. FRANCISCO WOLFIO,
SS. Theologiæ Doctore & Professore Publico
longè celebratissimo, Collegii Senatorii Seniore gravissimo,
Pastore ad D. Mariæ vigilantissimo, & R. Minist. Rostoch.
Directore meritissimo,

Patrono & Præceptore omni honoris atqve ob-
servantiæ cultu devenerando.

die 17. Febr. Anno M. DC. XCVII,
Præviâ Discussionè

IN AUDITORIO MAJORI
contra Cardinalem Bellarminum præcipuè
adserta

M. HEINRICO SIVERTZ, Dantisc.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampliss. Senat. Typogr.



1097

dp



ILLUSTRISSIMO ATQVE EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
EBERHARDO,
LIBERO BARONI
DE
DANCKELMAN,
SERENISSIMI AC POTENTISSI-
MI ELECTORIS BRANDENBURGICI
SUMMO CONSILIORUM TOTIUS STATUS PRÆ-
SIDI, ET MINISTRO STATUS INTIMI
PRIMARIO,
HÆREDITARIO DOMINO IN BRESKES,
WETTIN, UNGELIN ET ZIMMERBUDE
&c. &c.
DOMINO SUO CLE-
MENTISSIMO.



ILLUSTRISSIME ATQVE EX-
CELLENTISSIME
BARO,
DOMINE LONGE CLEMEN-
TISSIME.



Ad pedes Tuos provolu-
tus, Illustrissime BARO,
MECOENAS ET PA-
TRONE GRATIOSIS-
SIME, veniam supplex
expetit cliens humillimus, aures Tuas
in Reipublicæ salutem attentas fatigare,

) (2 &

& oculos, salutis publicæ unicè consecra-
tos, subire ausus. Sistit se Tribunali ve-
stro Justissimo, ipsa, me devotissimo de-
sideriorum ejus interprete, concreata
Primis nostris Parentibus à Summo DEO
Justitia. Justitia, inquam, ipsa supplex,
iniquis adversantium ausibus, in judi-
cium & litem raptata, sedi suæ postli-
minio restituta, & contra omnes ho-
stium, eandem in supernaturalium do-
norum classem, retracturorum, insul-
tus & injurias defensa. Neque enim
justiorem vindicem alium, ad quem
tanquam ad asylum confugeret sanctis-
simum, & cujus ægide sarta tecta que præ-
staretur, invenire potuit alium, quam
Te Heroum Illustrissimum cujus in fla-
grantissimos justitiam amores & aula
SERENISSIMI PRINCIPIS veneratur,
& omnes terræ eidem subjectæ loquun-
tur, & exterorum pectora ad stupo-
rem

rem usque demirantur. Accedunt
Illustrissimæ Vestræ Excellentia, tot
inuitatissima favoris & gratia docu-
menta, non in meum tantum, cum
adhuc in vivis esset, Parentem, sed &
post hujus fata in matrem viduam, i-
mò me ipsum, ut ingratissimus sim, nisi
hoc devinctissimæ submissionis ac de-
votissimi animi quaecunqve signum,
ad pedes vestros deponerem & ad Te,
PATRONE SUMME, veluti ad An-
choram Sacram, cum ipsa Justitiâ sup-
plice confugerem. Si non dedignabe-
re, quod enixissime rogitò, **GRATIO-**
SISSIME DOMINE, levissimum hoc
obstrictissimæ mentis testimonium be-
nignò serenoqve vultu adspicere, &
Clementi Tuo favore me atqve studia
mea, ulterius secundare & promove-
re, triumpho. De cœtero supremum
Numen devotis semper implorabo pre-
cibus,

cibus , ut Illustrissimam Vestram Excel-
lentiam , Potentissimo Electori & Pa-
triæ nostræ, inter adminicula & præsidia
melioris seculi, mihiqve studiisque meis
Patronum gratiosissimum, certissimum,
ad annos innumeros sospitem conserva-
re , Illustrissimamqve Familiam perpe-
tuo florere clementissimè jubeat.

ILLUSTRISSIMÆ VESTRÆ
EXCELLENTIÆ

Rostochii, die 16. Febr.
Anno 1697.

Devotissimus Client

M. HEINRICUS SIVERTZ.

§. 1. Pri-



S. 1.

Rimum hominem in ipsa statim creatione à Creatore suo non tantum accepisse dona naturalia, sed etiam supernaturalia, adeoq; in statu integritatis utriusque generis donis, & naturalibus & supernaturalibus, DEI beneficio instructum vixisse, nostris quidem Ecclesiis extra dubitationis aleam positum est. Ultraque habuit ad actus statui integritatis debitos, finemque in illo statu ipsi præstitutum obtinendum recte prompteqve exercendos. Hinc Calovius Tom. IV. art. 2. c. 1. de statu integr. quæst. 1. *Et dona, scribit, supernaturalia Spiritus Sancti protoplastis haud defuisse, cum ipsa gratiosa inhabitazione S. S. Trinitatis, constanter omnes Lutherani agnoscunt. Idem p. m. 391. l. c. tribuit Adamo sapientiam non tantum ἐμφυτον, concreatam, vel innatam, quia imago DEI ad quam conditus erat, consistebat in Sapientia & ἰσχυρῶς Gen. I. 26. Col. III. 10; sed etiam θεόδοτον & infusam. Quum enim, inquit, donis supernaturalibus Spiritus Sancti etiam instructus fuerit, admitti potest, infusam quoq; Sapientiam ipsum habiturum fuisse, aut habuisse in statu integritatis, quemadmodum Apostolus, aliisque viris DEI Sanctis habitum Sapientia infusum fuisse constat, dummodo non negetur Sapientia concreata. Et art. 2. c. 2. quæst. 8. p. m. 665. dona illa supernaturalia, quæ ante lapsum in homine fuerunt, docet, non fuisse partem imaginis Divina, sed adjuncta, vel ejus consequentia. Eundem in sensum locutus erat Gerhard: in Isagog. Disp. 22. p. m. 803. agnoscimus fuisse in homine ante lapsum supernaturalem DEI gratiam & favorem, quo DEUS eum sibi gratum & acceptum habebat, & præ cæteris creaturis visibilibus amabat, supernaturalem Spiritus Sancti*
A. fulgo-

fulgorem hominis animam efficaciter irradiantem, ut is in concreta integritate perseverare, Deiq; voluntati semper obtemperare potuisset, si voluisset; supernaturalem beatitudinis & vite splendorem, qui in communi-
one cum totâ Sacro Sanctâ Trinitate consistebat.

§. 2. Nisi igitur crassa ignorantia mentis Lutheranorum in causa fuerit, malitiam certe arguit & injuriam, quod scribit Tom. 4. Lib. de gratiâ primi hominis c. 1. Bellarminus: Lutherani cum Nulla supernaturalia dona in primo homine fuisse contendunt, in eo cum Pelagianis conveniunt. Tantum quippe abest, ut Lutherani cum Pelagianis idem cornu inflent, contendantque nulla supernaturalia dona in primò homine (nempe in statu integritatis) fuisse, ut potius iis contradicant, & apertè doceant, quædam supernaturalia dona in homine primo integro omninò fuisse: adeoque principio illi Pelagianorum ex Augustinò allato: *Talis omnino conditus fuit primus homo, quales nunc ceteros homines nasci videmus*, Lutherani mente, ore, calamoque strenuè contradicunt.

§. 3. Neque potest Jesuita consensum Lutheranorum cum Pelagianis evincere, seu, ut loquitur, facile demonstrare ex verbis Lutheri ibidem allegatis comment. ad Gen. c. III. *Justitia Originalis primo homini vere fuit naturalis, ut natura Adæ esset diligere DEum, credere DEO, agnoscere DEum: hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt. Item: hæc probant Justitiam Originalem esse de natura hominis, eâ autem per peccatum amissâ, non mansisse integra naturalia ut Scholastici delirant.* Inepta enim est consequentia hæc, quam necit Jesuita: Lutherus docet Justitiam Originalem fuisse Adamo naturalem, non supernaturalem, ergo adserit nulla supernaturalia dona in Adamo fuisse: item: Ergo cum Pelagianis statuit talem omnino conditum fuisse primum hominem, quales nunc ceteros homines nasci videmus. Etenim in priori aperta est collectio à particulari ad universale, similis huic: Bellarminus adserit Justitiam Originalem primo homini fuisse supernaturalem. Ergo contendit Nulla naturalia dona in primo homine fuisse. A negatâ supernaturalitate Justitiæ Originalis non valet consequentia ad negandam omnium donorum supernaturalitatem. Lutherus dicit Justitiam Originalem fuisse de natura hominis non quod pars essentialis hominis fuerit, sed quod ad complexum naturalium pertinuit, quæ ei de lege naturæ debebantur, non vero fuerit donum supernaturale.

§. 4. Stan-

§. 4. Stante itaque eo, ad complexum integræ felicitatis concreta, & originalis, quâ primus homo fuit beatus, non tantum pertinere dona naturalia mera, sed etiam dona supernaturalia, ex gratia conditoris concreta, porro quæri potest: Utrum ergo primus homo aliquando, saltem ad unicum temporis momentum, extiterit in meris naturalibus, sine donis supernaturalibus? licet mox in sequenti momento supernaturalia dona illis naturalibus fuerint superaddita. Non quidem defuerunt ex Scholasticis vetustioribus, qui affirmativam amplexi sunt sententiam v. g. Bonaventura, Durandus apud Dreierum in *der Erörterung* p. m. 154. seq. nec non Scotus, Hugo de S. Victore, Alexander Aletensis apud Calovium syst. L. de statu integrit. Tom. 4. p. m. 468. hodie tamen, quod sciam, hæc sententia absurda a seculis haud invenerit. Quamvis enim naturalia dona in illa conjunctione à supernaturalibus realiter manserint distincta, ordo etiam naturæ inter illa concedi possit, quo naturalia priora concipiuntur supernaturalibus, quæ naturalia supposuere, & naturalibus sunt superaddita, nulla tamen inter dona naturalia & supernaturalia prioritas temporis concedi potest ad scripturam ductum, cum in eodem temporis & creationis momento primus homo utraq; dona simul acceperit, nec enim primus homo *Justitia Originali præditus sine gratiosa inhabitatione Spiritus S.* ullo momento esse poterat. Unde si quis statum purorum naturalium fabricare velit, quo aliquando homo sine omnibus donis supernaturalibus, in meris & solis naturalibus suis vixerit, certe Utopicum purorum naturalium statum comminisceretur.

§. 5. Quando vero ulterius quæritur: An non, stante quod homo nunquam, ne quidem ad momentum, in statu merorum naturalium extiterit, cogitatione minimum & mente liceat abstrahere & præscindere dona naturalia primi hominis à supernaturalibus, & naturalia sola sine supernaturalibus considerare, & distincte determinare, quænam ad naturalia, quænam vero ad dona supernaturalia primi hominis pertinuerint? Respondemus, id omnino licere, & fieri posse. Cum enim abstrahere mente, non sit dividere conjuncta, & negare alterum simul adesse, vel adfuisse, adeoque abstrahentium, juxta effatum Philosophorum, non sit mendacium, (qui enim abstrahit mente mera naturalia à supernaturalibus, non realiter disjungit aut separat supernaturalia à donis naturalibus, neque affirmat, primum hominem unquam

in solis naturalibus, sine concreatis supernaturalibus extitisse) salvâ omnino veritate, naturalia sine supernaturalibus, & status purorum naturalium sine supernaturalibus considerari & præscindi mente potest, distinctioris cognitionis ergo, præcipue cum naturalia & supernaturalia etiam in conjunctione sua realiter sint, maneatqve distincta. Sicut enim distincte potest considerari anima sine corpore, licet sint intimè in homine unita, ita & naturalia sine supernaturalibus realiter distinctis in ipsâ conjunctione possunt concipi, & se solis considerari. Similiter quamvis nunquam essentia hominis sine suis perfectionibus accidentalibus omnibus separatim existat, realiter tamen ab iis differt, & sine omni figmento per abstractionem mentis essentia hominis in puris suis essentialibus, sine perfectionibus omnibus accidentalibus, considerari potest. Et quid notius, quam Philosophos identidem concipere & considerare materiam sine omni forma: & contra materiam sine quantitate; quantitatem sine figurâ; quamvis nullò momentò alterum sine alterò existat. Quid quod etiam Theologi in articulò de Justificatione, fidem recte considerent sine operibus, sine ullâ figmenti suspitione, licet fides nunquam ab operibus saltim internis sit & existat separata. Imo distincte à Theologis considerantur quæ realiter prorsus inter se identificantur. Sic distinctè considerant essentiam Divinam, distinctè ejus attributa, tanquam conceptus secundarios, & ex essentia fluentes, licet nec separatim existant, aut existere possint, imo ne quidem realiter distinguantur, sed prorsus sint unum idemqve. Si ergo sine figmento etiam realiter eadem, & prorsus inseparabilia, distinctè considerari & tractari possunt, quidni etiam naturalia sine supernaturalibus, & status purorum naturalium sine figmentò considerari quiverent.

§. 6. Sed neque de eo Nostros inter & Pontificios, & quotquot horum vestigia hac in parte premunt, controversia recipitur, an possit Primus homo in statu purorum naturalium, præcisè mente supernaturalibus, reipsa quamvis conjunctis, considerari? sed potius de eo quæritur, quænam dona ad statum mere naturalium sint referenda? quænam ad dona supernaturalia? Et utrum *talis* futurus fuisset status purorum naturalium, si homo in eo fuisset conditus, *qualem* commenti sunt Pontificii, & propinare satagunt, qui hæc in parte Pontificiorum placita exosculantur? Hinc benè Dominus D. Calovius: Non quæritur anne possint ea, quæ mere naturalia homini sunt, mente abstrahi à do-
nis

nis supernaturalibus? quod Nemo inficiatur. Sed: An status purorum vel merorum naturalium NB. *Quem* Scholastici invexerunt, admittendus sit? Syst. Tom. 4. de stat. integr. p. m. 467. Scilicet uti in primo homine dona fuerunt quædam naturalia, quædam vero supernaturalia: ita mere naturalia simul sumpta, præcis supernaturalibus mente omnibus, statum purorum naturalium faciunt cogitatione abstractum. Ubi jam illud in quæstionem venit, quænam ergo ad statum purorum naturalium referenda fuerint? Utrum ad talem statum purorum naturalium ea tantum pertinuerint, quæ Pontificii volunt, & utrum supernaturalia dona primi hominis fuerint, quæ Pontificii supernaturalibus annumerant? an vero potius quædam ab illis dona supernaturalia vocentur, quæ rectius ad connaturalia hominis dona fuerint referenda? Unde Calovius Syst. Tom. 4. p. m. 471. in eo non arguuntur, quod distincte naturalia considerent, sed quod fallò naturalia mera assignent, & ignorantiam mentis, repugnantiam voluntatis, rebellionem appetitus sensitivi, naturæ & statui merorum naturalium tribuant.

§. 7. In specie vero controversiæ momentum redit ad rectitudinem illam, quam primus homo in creatione accepit, utrum illa ad dona supernaturalia pertinuerit, nec referenda sit ad naturalia seu connaturalia primi hominis dona? Pontificii, & cum illis nonnulli, contendunt, eam fuisse donum supernaturale: Nostrates consentiunt eam non pertinuisse ad dona supernaturalia sed ad connaturalia. Hinc Bellarminus hanc contra hæreticos hujus temporis, quos §. præcedente, Lutheranos vocat, format propositionem Tom. 4. Libri de gratia primi hominis c. 5. *Rectitudo illa, cum qua Adam creatus fuit, & sine qua post ejus lapsum homines omnes nascuntur, donum supernaturale fuit.* Nos contra adserimus: Rectitudo illa (pro complexu omnium perfectionum quas homo in creatione vi imaginis divinæ accepit, sumpta) cum quâ Adam creatus fuit, & sine qua post ejus lapsum omnes homines nascuntur, non fuit donum supernaturale, sed naturale. Nempe si rectitudo illa à donis, quæ supernaturalia vocantur, distinguatur, simpliciter dicimus, eam fuisse primo homini connaturalem, & ad statum purorum naturalium, vere talium, fuisse referendam.

§. 8. Ut vero mens Bellarmini & aliorum, eo fiat clarior, lubet ea distincte proponere, quæ contrasentientes pro explicandâ suâ sententiâ monent, & deinde quæ nobis in iis videantur desideranda & observanda.

§. 9. Gratiā Primi hominis Bellarm. l. c. c. i. p. m. 9. facit triplicem (1) animæ (2) corporis, ejus nempe immortalitatem quam rectitudinem corporis dixeris, quamq; supernaturalem non naturalem fuisse conatur probare ibidem c. 9. (3) loci, id est Paradisum, de qua agit à c. 10. Nos hoc loco missis duabus gratiis posterioribus, corporis & loci, agemus hac vice potissimum de gratiā quam vocat animæ & rectitudinem moralem dixeris, ipse vocat Justitiam Originalem, idque ne paginæ nimium excrescant.

§. 10. Intelligit autem per Justitiam illam Originalem c. 5. p. 22. donum insigne & supernaturale, quo veluti aureo quodam freno pars inferior parti superiori, & pars superior DEO facile subiecta contineretur. Per partem inferiorem intelligit carnem, ad quam pertinet appetitus sensitivus. Per Superiorem Spiritum, nempe intellectum & voluntatem. Hinc statuit ita subiectam fuisse carnem Spiritui, ut non possit ipso invito moveri, neque ei rebellis fieri, nisi ipse rebellis fieret DEO; in potestate tamen spiritus fuisse, rebellem DEO fieri & non fieri. Hinc sicut frenum eqvo prorsus est extrinsecum, Justitiam Originalem Bellarminus donum facit humanæ naturæ externum, quod adeo salvâ integræque naturæ humanæ potuerit amitti & removeri, quomodo & comparare solent sermo virginis imposito, quod sine detrimento & corruptione naturæ potuit auferri. Hinc Bellarminus ibidem p. m. 23. Non magis differt status hominis post lapsum Adæ, à statu ejusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus à nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia & infirmitate laborat, quam esset & laboraret in puris naturalibus condita.

§. 11. Hanc Justitiam Originalem, donum nempe & axioma supernaturale primi hominis, docent importasse quædam ex parte intellectus, quædam ex parte voluntatis, quædam denique ex parte appetitus sensitivi, quibus partim perfecerint naturalia, & iis aliquid addiderint, partim naturalia correxerint, eorumque cursum suspenderit, ubi nempe cum beatitudine *perfectâ pugnarent*. Et quidem (α) ex parte intellectus lumen supernaturale, quo (1) cognoverit Adam de DEO, quæ naturali lumine non potuisset, & forte plura quam nunc nos ex revelatione cognoscimus: (2) perfecte ultimum & supernaturalem suum finem, summam nempe animæ juxta ac corporis beatitudinem, (3) DEUM omnimoda omnium virium subiectione colendum esse, peculiariter,

ter, abstinendum esse à fructu arboris scientiæ boni & mali, (4) res naturales & Philosophicas longè perfectius & certius, quam nunc cognoscuntur. (3) Ex parte voluntatis, quoniam intellectus omnia bona sufficienter cognoscebat, poteratque non errare in dijudicatione, propterea arbitrium voluntatis fuisse liberrimum, nullo modo præpeditum. Denique (2) ex parte appetitus sensitivi, eum mentis iudicium nec prævenisse, nec cum eo peccasse. Quando autem removetur hoc donum supernaturale, sicut propter Adami peccatum remotum fuit, intellectum per solam privationem hujus doni supernaturalis, docent, relinqui secundum se & per se impotentem, ad cognoscenda & credenda mysteria, cognitu & creditu ad salutem necessaria, & si quando proponuntur, aptum natum esse dubitare & ea negare. Appetitum sensitivum relinqui talem, ut in jucunda & caduca bona inordinate & præfractè feratur. Voluntatem itidem proclivem, ut illis condelectetur & à melioribus, quin omnium summo bono avertatur. Hæc, in statu merè naturali, si placuisset DEO hominem conditum relinquerè, ita quidem se habuissent, sed peccati vel pravitatis loco non venisse, quia ad habendum donum supernaturale nulla fuisset necessitas vel obligatio, nec Justitia originalis adfuisset. Semel autem Adamo & parenti humani generis, collatum, in posteris esse debuisse, & quia non est, reliquisse intellectum impotentem cognoscere, voluntatem inordinate conversam & averfam, & appetitum rebellem. Sicut equus, quamdiu ad est frenum & fessor, facit officium suum, rectèque viâ graditur; quamprimum abscesserint, non per ferociam aliunde, aut de novo superaditam, sed per suam ipsius indolem exorbitat, & suo impetu fertur: sic etiam potentiæ humanæ destitutæ Justitiâ originali.

§. 12. Bellarminus, ut ostendat, unde, & quomodo ex conditione materiæ, seu naturæ humanæ, illa pugna oriatur: *Sciendum*, inquit, p. m. 22. hominem naturaliter constare ex carne & spiritu, & ideo partim cum bestiis, partim cum Angelis communicare naturam. Ratione carnis & communionis cum bestiis habere propensionem quandam ad bonum corporale & sensibile, in quod feratur per sensum & appetitum: ratione Spiritus autem & communionis cum Angelis, habere propensionem ad bonum spirituale & intelligibile, in quod feratur per intelligentiam & voluntatem. Ex his, dicit, diversis vel contrariis propensionibus existere in uno eodemque homine pugnam quandam,

&

& ex eâ pugnâ ingentem bene agendi difficultatem cum una propensio alteram impediât.

§. 13. Porro, inquit, sciendum, divinam providentiam initio creationis, ut remedium adhiberet huic morbo, seu langvori naturæ, qui ex conditione materiæ oriebatur, addidisse homini Justitiam Originalem, quæ veluti aureo freno pars inferior superiori & superior DEO facile subjecta contineretur.

§. 14. Gemina ferme his docet D. Dreierus in der sic dicta gründlichen Erörterung p. 151. & seqq. quæ ibi pluribus videri poterunt.

§. 15. Ne tamen videatur Autor cum Pontificiis hæc in parte consentire, qui Justitiam Originalem reipsa donum faciunt externum, vires naturales etiam post lapsum nimium extollunt, & peccatum originis extenuant, dum negant per lapsum humanam naturam, si culpam originalem detrahas, deteriorem factam, aut magis ignorantia & infirmitate laborare, quam laboraret in puris naturalibus condita, cum corruptio naturæ non ex doni alicujus naturalis carentiâ, neq; ex alicujus malæ qualitatibus accessu, sed ex solâ doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxerit vid. Bellarm. l. c. p. m. 23. Mox in der Erörterung subjicit p. m. 144. Diesem allem widersprechen wir / und sagen daß das Ebenbild Gottes oder die anerschaffene Gerechtigkeit / Weisheit etc. eine natürliche / innerliche Gabe gewesen sey / ohne welche die Natur ihre Vollkommenheit / Kraft / und Wirkung nicht habe behalten können / und das dannenhero der Mensch nachdem er solche natürliche Gabe verlohren / jämmerlich an allen / auch natürlichen Kräften des Leibes und der Seelen verderbet / das nichts guts an ihm zu finden : Interim pergit ; aber wenn man weiter fraget / ob auch die anerschaffene Gerechtigkeit Weisheit etc. des ersten Menschen sey eine natürliche Gabe in der letzten Bedeutung dieses Wörtleins / wie Leib und Seele und die wesentliche Eigenschaften / die aus der Natur und dem Wesen des Menschen herfließen etc. so sagt man nein / darumb / denn es würde folgen / daß weil der Mensch solche Gabe verlohren hat / durch den Sündenfall / das er ein Stück von seinem Wesen / und wesentlichem Eigenschaften verlohren hätte / welches die alte Kezerey der Natur nicht ist.

§. 16. Scilicet Bellarminus c. 5. & cum eo dictus Autor in der Erörterung

Erörterung p. m. 141. observat multis modis aliquid dici naturale. Notat (1) id quod habetur à Nativitate, seu quod est naturæ humanæ creatum vel congenitum. (2) Quicquid non est contra naturam hominis, nec eam destruit, sed naturæ est consentaneum, quomodo omnia gratiæ dona, ipsa vita æterna dici queat naturale quid. (3) Quicquid est in natura, naturam juvat & perficit in operibus suis naturalibus, neque eam elevat ad opera ulla supernaturalia. (4) Quod aut est pars naturæ, aut fluit à principiis naturæ. Hoc modo naturalia dona sunt corpus & anima, facultates quoque tum sentiendi tum intelligendi, nec non operationes, quæ ab iisdem facultatibus exercentur. Tribus prioribus modis concedit Bellarminus, Justitiam Originalem posse vocari donum naturale, sed de quarta significatione dicit hõc locõ disputari, in quâ naturale valde propriè opponatur supernaturali, & in hâc significatione ultima Bellarminus, & cum eo alii, negant Justitiam Originalem esse naturalem, sed omninõ dicendam esse donum supernaturale, cum ita naturale supernaturali valde propriè opponatur. In sensibus vero prioribus omninõ fuisse naturalem concedunt, ut ita à Pelagianis abeant, quod nullam naturæ humanæ corruptionem admiserint, sed docuerint, hominem post lapsum nasci perfectis iisdem viribus corporis & animæ, quibus omnium primo fuerit conditus, neque justum neque injustum, sed ad utrumque indifferentem. Hinc Dreierus in der Erörterung p. 143. Man muß hie sagen / daß das Ebenbild im ersten Menschen sey eine mit erschaffene / innerliche / natürliche Gabe gewesen / dadurch der Mensch im Stande der Unschuld viel besser und vollkommener an Leib und Seele gewesen / wenn er nicht gesündigt / und daß er dannenhero / nachdem er das Ebenbild Gottes verlorren / nicht geblieben wie er vorhin war / sondern an allen seinen Kräfften Leibes und der Seelen jämmerlich verderbet / und zum guten in geistlichen Sachen im geringsten keine Eüchtigkeit mehr bey ihm habe / was zu gedencken und zu verstehen / daß Gott gefällig wäre / geschweige dennoch dasselbe zu wollen zu begehren und zu vollbringen : Quo ipso se eriam separare vult à Scholasticis cum veteribus tum recentioribus, dum non cum iis donum externum, quod instar freni eqvo injecti, vel ferti in modum virgini impositi, sine corruptione naturæ posset auferri, sed internum vocat.

S. 17. Denique monet Bellarminus l. c. in fine p. 22. supernatu-

B

rale

rale in quarta & ultima significatione sumptum, quæ notat aut partem essentia, aut quod fuit à principiis naturæ humanæ, & supernaturali propriè opponitur, dupliciter rursus posse dici, nempe (1) per se. Vel (2) per accidens. Per se naturale vocat, quod ex genere suo non est aptum fluere ex principiis naturæ, qualis fuit ascensio Eliæ igneo curru in cœlum; robur Samsonis. Per accidens naturale vocat, quod interdum obtinetur Divino miraculo, licet alioquin ex principiis naturæ fluere soleat. Talis, inquit, fuit sensus videndi, quem Dominus cæco nato restituit, Sapientia divinitus Salomoni tributa &c.

§. 18. Quibus præmissis concludit, adversarios censere, rectitudinem illam in quâ creatus est Adam, fuisse illi naturalem hoc ultimo modo, seu in quarta significatione, se vero existimare rectitudinem illam, etiam partis inferioris, fuisse donum naturale, & quidem *Per se*, non per accidens, ita ut neque ex naturæ principiis fluxerit, neque potuerit fluere. Et dono hoc supernaturali remoto naturam humanam sibi relictam, pugnam illam experiri coepisse, partis inferioris cum superiori, quæ naturalis futura fuisset, id est ex conditione naturæ sequutura, nisi DEus Justitiæ donum homini addidisset.

§. 19. At enim vero licet, ut vidimus, facile largiamur (1) hominem primum, in prima statim creatione à DEO accepisse dona & naturalia & supernaturalia. (2) Rectitudinem illam concreatam, in specie Justitiæ Originalem primo homini esse naturalem in tribus significationibus prioribus Bellarmini, de quibus §. 16. vidimus, nec tantum subjective, quod penitissime inhæreat, & perfectivè quod eam perficiat, sed etiam, quod addit Calovius matæol. pap. Sect. 2. contr. 1. *transitive*, quod cum natura simul in alios propagari potuerit. (3) Hominem in meris naturalibus non futurum fuisse omniscium, per Sapientiam concreatam & naturalem, cum nec in statu integritatis, in quò tamen & sapientia infusa adfuit; omnia sciverit, multa ignorantia simplici & puræ negationis, etiam in naturalibus ignoraverit, licet ignorantia præva dispositionis non laboraverit. Hinc ipse IESUS crevit Sapientia Luc. II. 52. nec de die illo Angeli, nec ipse filius novit Marc. XIII. 32. Vid. Gerhardus Ilagog. Disp. 23. c. 4. §. 4. 5. p. 844. non omnia simpliciter cognovit, non futura contingentia, non secreta cordium, non omnia individua, & eorum actiones, sed ea tantum quæ facerent ad ipsius finem, Hinc quia etiam habuit Sapientiam infusam, citra dubium

bium per eam ea cognovit, quæ per Sapientiam naturalem, lumenque naturæ non potuit attingere: quædam etiam ex revelatione Divinâ cognovit, quæ per solum lumen naturæ & sapientiam naturalem nunquam alias cognovisset, v. g. legem interdicens commestionem de fructibus arboris scientiæ boni & mali, decreta libera revelata. Nequaquam tamen concedere possumus statum purorum naturalium importasse (1) intellectum hominis secundum se & per se, seu quoad omnia connaturalia sua spectatum, impotentem ad cognoscenda & credenda mysteria sibi à DEO in ipsâ creatione revelata, & aptum natum, de iis etiam revelatis à DEO, dubitare, aut ea negare, multo minus ignarum DEI, & communissimorum principiorum vid. Calov. Tom. 4. Syst. p. m. 472. (2) Appetitum sensitivum talem, qui per se & secundum se in jucunda & caduca bona inordinate & præfractè ferretur, cum rectâ ratione decertaret, eiqve adversus esset, ex quâ pugnâ ingens bene agendi difficultas orta fuisset. (3) Voluntatem etiam proclivem, ut illis condelectetur, & à melioribus, quin ipso summo bono, DEO, averteretur.

§. 20. Ut vero eò rectius constet nostra sententia, adserimus (1) ex parte intellectûs hominem in statu purorum naturalium consideratum, habiturum fuisse lucem eximiam & sapientiam quandam creatam connaturalem, beneficio cujus, pro illo statu sufficienter, potuisset cognoscere, sine ullâ difficultate, informatione, dubitatione, prolixâ probatione & demonstratione, communissima principia, res creatas, & ex illis abstractive, nec non ex usu notitiæ insitæ, DEum, ejus essentiam, attributa, voluntatem, quantum requirebatur ad hoc, ut intellectus homini posset præscribere & dictitare, quomodo homo se erga DEum creatorem, proximum, seqve ipsum gerere, quomodoque rebus à DEO factis ad suam utilitatem, proximi bonum, & creatoris gloriam, rite uti deberet. Deinde intellectum in statu purorum naturalium tantæ perfectionis & obedientiæ sine ullâ tergiversatione & dubitatione futurum fuisse erga creatorem suum, ut quæcunqve audierit, ab ipso revelari, si vel maxime captum luminis naturæ integræ transcenderent, quousque revelata à DEO fuissent, non tantum cognoscere, sed promptum omnibus adsensum præbere, nequaquam verò ex se & sua natura seu per naturalem suam inclinationem, aptum natum fuisse de iis dubitare, vel prorsus ea negare, nisi à supernaturali dono, ceu frenò re-

primeretur. Quia enim intellectus nosset se finitum, nec omnia capere, scientiam vero DEI infinitam longe plura perspicere, quæ captum suum superarent, licet contradictionem veram & repugnantiam non involverent, præterea certus fuisset de DEI veracitate, Sanctitate, bonitate, quæ nec fallere nec ulla ratione falli possit, nec dum ullo peccato & inclinatione in dissensum infectus fuisset, vel ad temerè & erroneè judicandum, ultro se obsequio fidei subiecisset, promptumquæ DEO in testificando veracissimo quin ipsi veritati, ad sensum sine ulla dubitatione vel negatione adhibuisset, quicquid tandem ipsi DEUS credendum proposuisset. Mysteria itaque ad imaginem DEI quæ naturalis est, etiam pertinebant, ut sic homini naturali tribuatur, omne id quod ei necessarium erat & tanquam medium ad naturalem finem, sanctitatem & beatitudinem perveniendi.

§. 21. Adserimus (2) ex parte voluntatis, quæ per se & ex sua natura erat facultas appetendi bonum ab intellectu cognitum & iudicio ejus recto comprobatum, hominem in statu purorum naturalium habiturum fuisse talem rectitudinem seu habituales propensionem (1) bonum ab intellectu cognitum recto intellectus iudicio & consilio convenienter appetendi, malum vero averfandi & detestandi. Sic voluntas in statu purorum naturalium DEUM tanquam summum bonum cognitum, & super omnia dilectione dignum iudicatum, super omnia dilexisset, elegisset & voluisset omnia quæ intellectus iudicium rectum facienda; averfata fuisset, quæ fugienda præscripsisset (2) facultatem & inclinationem regendi potentias inferiores, ne ullatenus in actus inordinatos & iudicio rectæ rationis contrarios erumperent. Hinc nullam in statu merorum naturalium in voluntate agnoscimus proclivitatem, quâ condelectata fuisset motibus inordinatis appetitus sensitivi, contra rectæ rationis dictamen insurgentibus, quæ à melioribus, quin à summo omnium DEO se avertisset, vi naturalis & concreatæ cujusdam sibi inclinationis, & ad bona caduca atque terrena convertisset.

§. 22. Adserimus (3) ex parte appetitus sensitivi qui per se & ex sua natura est facultas appetendi bonum sensibus (v. g. visu, tactu,) cognitum, hominem in statu merorum naturalium habiturum fuisse vires bonum sensibus cognitum, non quocunque modo, aut brutorum instar, non dependentium à præscripto rectæ rationis, sed ordinatè h. e. voluntati, recto intellectus iudicio & præscripto conformatæ, convenienter

nienter appetendi, seqve adeo sine rebellione & nisu in contrarium recto intellectus judicio, voluntatisqve intellectui se conformantis imperio prompte subjiçendi & parendi, nec ulli motui inordinato inevitabili locum dandi.

§. 23. Atqve hoc modo putamus hominem in statu purorum naturalium consideratum ex officinâ DEI optimi maximi, qui omnia, quæ condiderat, vidit valde esse bona, fuisse proditurum sine morbo & langvoce naturæ, in naturalibus suis integrum, si DEUS eum sine omnibus domis supernaturalibus relinquere voluisset, & in his consistere Justitiâ Originalem, quam nos dicimus fuisse connaturalem non supernaturalem, per quam homo citra supernaturalia dona habuisset omnes vires, ipsi ad ejus actus connaturales de lege naturæ debitas, ut honeste viveret, suum cuique tribueret, neminemque læderet; ut adeo status ille quem fingit Bellarminus, purorum naturalium, in quo homo fuisset sine hac Justitiâ Originali, non tam sit dicendus status purorum quam impurorum naturalium, non tam status naturalium, quam status hominis plane præternaturalis, & imperfectus, qui hominem extra suum connaturalem statum detinuisset sub defectu virium sibi connaturalium, ipsi de lege naturæ ad actus suos connaturales debeat.

§. 24. Has vires §. 20. 21. 22. explicatas, putamus homini ut est natura rationalis, ad actus suos connaturales exercendos, de lege naturæ deberi. Neque enim tantum debentur homini de lege naturæ vires, ad actiones suas exercendas, *quatenus est corpus vivum, vel etiam sentiens sive animal*, quas cum plantis & brutis habet communes, sed etiam quatenus est homo & natura quædam rationalis. Hæ vires autem sunt (1) ex parte intellectus lux vel Sapientia necessaria ad cognoscendum cum res à DEO factas, & ex iis ipsum DEUM, tum ad præscribendum quomodo homo se erga Creatorem, proximum, & se ipsum gerere, & quomodo rebus à DEO factis rectè uti debeat, (2) ex parte voluntatis & appetitus sensitivi virtus ad exercendos actus appetendi naturæ rationali convenientes. Et quidem ex parte voluntatis requiritur vis bonum ab intellectu cognitum recto intellectus judicio convenienter appetendi, & malum oppositum fugiendi: Ex parte autem appetitus sensitivi vis bonum sensibus cognitum ordinate, & voluntati rectæ rationis judicio conformatæ convenienter appetendi. Sine his viribus homo non potuisset actus suos connaturales, in quantum quidem

est natura rationalis, exercere. Si ergo bonitas conditoris cuique rei naturali, nullam prorsus exceptam, illas vires connaturales largita est sine defectu, quae ipsi de lege naturae ad ejus actus connaturales producendos debebantur, homini certe tanquam creaturarum visibilium nobilissimae perfectissimae, eas non denegavit.

§. 25. Nulla autem inveniri poterit res naturalis, quae non in suis connaturalibus includat omnes illas vires, quae ipsi ad connaturales suas actiones obeundas de lege naturae debeantur, aut quae eas vires agnoscat, tanquam sibi supernaturales. Sic quia calefactio est actus ignis connaturalis, omnino etiam vis calefaciendi, quam habet à creatore, non erit vocanda donum ipsi supernaturale, sed maxime connaturale, supernaturali oppositum. Solis actus connaturales sunt illuminare, calore fovere: Ergo vires illuminandi & suo calore fovendi, ei sunt dicendae connaturales, non supernaturales. Ergo & homo numerabit illas vires, sibi ad actiones suas, quatenus rationalis est natura, connaturales obeundas de lege naturae debitas, inter dona sua connaturalia, supernaturalibus opposita, adeoque ad statum purorum naturalium referenda. Naturae quippe rationali ut rationali conveniunt, actus connaturales, actus cognitionis & appetitionis recti & boni, cum natura rationalis, qua talis, sit moralitatis regula, cui quicquid convenit, rectum & bonum est, quicquid non convenit, à regulâ rectitudinis deficit & malum est. Ergo & vires ad hos actus connaturales exercendos, ei fuerint connaturales; & si haec ad dona supernaturalia referuntur, homo relinquitur in statu praternaturali, & cum defectu virium connaturalium, sibi debitarum, à DEO condendus si eum sine supernaturalibus condere voluisset; adeoque longe infeliciores & imperfectiores in suis naturalibus relinqueretur homo, creaturarum nobilissima & perfectissima, non tantum ratione supernaturalium, sed etiam naturalium, atque vilissima creaturarum, cujus naturalia gaudent de omnibus illis viribus, quae ipsi ad ejus actus connaturales obeundos debebantur. Et finge absfuturas fuisse has vires, quas Justitiam Originalem & quidem connaturalem dicimus, à naturalibus hominis, in quem, quae se, redundabit culpa hujus absentiae seu carentiae Justitiae Originalis? Si culpam referas in hominem, carentia haec non erit simplex negatio, sed privatio peccaminosa, quam de merito suo sibi contraxit, adeoque homo sic non fuerit in statu purorum naturalium, sed in statu peccati.

Si

Si homines culpæ expertes fuerint, culpâ in DEum redundabit, tanquam peccati causam, quod blasphemum. Dices eo casu illam absentiam fore simplicem negationem, & sine omni peccato, cum nullum debitum habendi Justitiam Originalem adfuerit, qui autem privatur eo, quod non tenebatur habere, non est in statu peccati. Respondemus, omnino fuisset privatio talis peccaminosa, quia est privatio Justitiæ Originalis ad esse debitæ. Etenim sine ea homo non erit principium completum actuum suorum connaturalium, nec poterit actus suos ut naturæ rationali convenientes, quos tamen debebat, exercere, sed necessario exercet actus naturæ rationali ut rationali disconvenientes. Tales vero actus disconvenientes naturæ rationali ut rationali, sunt actus moraliter mali & peccaminosi, ratio, quia à regula rectitudinis moralis, quæ est natura rationalis ut rationalis, exorbitant. Si ergo DEus hominem sine illâ Justitiâ Originali condidisset, eum talem creasset, qui ob defectum virium ad suos actus connaturales debitarum, necessario regulæ rectitudinis disconvenienter egisset, atque peccasset, adeoque DEus, qui eum ita condidisset, constitueretur causa & autor peccati, quod blasphemum!

§. 26. Justitiam igitur Originalem concedimus insigne fuisse donum; sed supernaturale negamus, cum eam natura rationalis ut rationalis tanquam ad actus suos connaturales sibi debitam requisiverit, & sic inter suas connaturales perfectiones numeraverit. Neque appetitus sensitivus, tanquam pars animæ inferior, indiguit aureo quodam freno supernaturali, ut parti superiori; aut intellectus & voluntas hominis, tanquam pars superior, ut DEO facile subjecta contineretur, cum intellectus DEum ut suum Creatorem & Legislatorem summum veneratus, seipsum DEO subjectum consideravit, & obedientiam voluntati præscripsit, consilium intellectus rectum exosculatæ. Appetitus sensitivus quoque tantam habuit rectitudinem, ut in bona sua sensibus cognita, non nisi convenienter dictamini rectæ rationis, & Imperio rectæ rationi conformatæ voluntatis, in ea ferretur, ut se huic sine rebellionem & pugna obedientem sponte submitteret. Ut adeo hic nullo freno externo & supernaturali opus fuerit, quod rebellem & in contraria per se nitentem appetitum coerceret, ne in rebellionem erumperet, cum omnia in optimâ harmoniâ fuerint condita. Et quia hæc rectitudo Originalis homini erat connaturalis, non erat donum humanæ

natura externum , quod salva integraque natura humana amitti & auferri potuerit , sed facta ejus ablatione intime & profundissime humana natura fuit depravata. Unde falsum oppido est illud Bellarmini , quasi non magis differat status Adæ post lapsum à statu ejusdem in puris naturalibus , quam spoliatus à nudo , neque deterior sit humana natura facta (si culpam originalem detrahas) neque magis ignorantia & infirmitate , laboraret , quam si esset in puris naturalibus condita. Etenim reculae , quibus nudus spoliabatur ei prorsus erant externae , nec ad naturalia ejus pertinebant , quæ illis ablatis integra poterant permanere : ast Justitia Originalis homini erat intrinseca , lux in intellectu & rectitudo appetitus ad appetendum rationi rectæ conformiter bona : & pertinebat ad ejus naturalia , quatenus ut natura rationalis spectatur , quia ipsi ad actus suos connaturales de lege naturæ debebatur , adeoque ea ablata natura non potuit manere integra , utpote perfectionibus optimis intime priyata , & occidente luce illa recte cognoscendi , judicandi & præscribendi , nec non rectitudine appetendi , omnino magis ignorantia & infirmitate laborare cepit , quam , iis manentibus , in puris naturalibus expertus fuisset.

§. 27. Importavit Justitia Originalis illa ex parte intellectus , voluntatis & appetitus dona , sed non supernaturalia , verum connaturalia , adeoque remoto dono supernaturali , intellectus secundum se & per se non relictus fuisset impotens ad cognoscenda sufficienter ea , quæ ipsi pro eo statu cognoscenda sine dono & lumine supernaturali fuerunt , nec , si luminis naturæ captum transcendentia ipsi à DEO revelata fuissent , aptus natus fuisset ex se quidem & naturâ suâ ad dubitandum de iis , vel prorsus ad ea neganda , sed potius aptus natus fuisset non dubitare , & ea non negare. conf. §. 20. Nec remoto dono supernaturali appetitus sensitivus relictus fuisset talis , ut sua natura in jucunda & caduca bona inordinate & præfracte , sed potius ut in ea ordinate , & judicio rationis , cui subordinabatur , per naturam in homine convenienter ferretur. Nec remoto dono supernaturali voluntas ex naturâ sua proclivis fuisset , ut condelectaretur motibus inordinatis appetitus sensitivi , qui in puris naturalibus locum non habituri erant , sed potius præscripto rationis rectæ & motibus appetitus ordinatis , & rationi rectæ conformibus , nec tam proclivis ad aversionem , quam conversionem ad DEum summum bonum cognitum fuisset. Quodsi vero natura humana,

mana; sine donis supernaturalibus spectata; in statu illo merorum naturalium exorbitasset, sicut fecit in statu integritatis, de revelatis sibi à DEO dubitasset, vel ea negasset, in jucunda inordinate prouisset, se à DEO avertisset, eo ipso statum purorum naturalium deseruisset, & omnino peccasset, quia contra moralitatis regulam, naturæ rationalis ut rationalis dictamen rectum, egisset. Hinc naturam humanam sine donis supernaturalibus spectatam non possumus conferre cum eqvò, qui remoto freno & fessore, per suam ipsius indolem exorbitat, & suo impetu fertur, etenim hic naturæ rationalis est expers: at natura humana essentialiter est natura rationalis & moralitatis regula, quæ adeo, ablato omni dono supernaturali, uti poterat & debebat, siquidem pura naturalia retinere voluerit, non per suam ipsius indolem exorbitasset, & suo impetu prouisset, sed ordinate & rectæ rationis præscripto convenienter egisset.

§. 28. Homo quidem naturaliter constat ex carne & Spiritu; ratione etiam carnis habet propensionem quandam ad bonum corporale & sensibile, in quod fertur per sensum & appetitum. Ratione autem Spiritus habet propensionem ad bonum Spirituale & intelligibile, in quod fertur per intelligentiam & voluntatem, interim tamen ratione Spiritus non tantum fertur in bonum Spirituale & intelligibile, sed etiam in bonum corporale, ubi iudicat & præscribit recta ratio, quomodo illud naturæ rationali convenienter sit appetendum. Quando vero Bellarminus scribit, hominem ratione carnis cum bestiis communicare naturam, adeoque dari in homine naturaliter diversas vel contrarias propensiones, unde pugna quædam, & ex hac, ingens bene agendi difficultas oriatur, unâ propensione alteram impediente: Concedimus quidem in conceptu generico carnis, hominem ratione carnis cum bestiis communicare naturam, non vero in ratione talis carnis, qualem habent bestię. Harum caro naturæ rationali ut tali, & regulæ moralitatis non est subiecta, sed independenter à præscripto hujus regulæ fertur in bonum sensibus jucundum, & hinc cum non habeat regulam moralitatis, cui alligetur, & à quâ exorbitet, quomodocumque in illud bonum impetu naturæ suæ feratur, non peccat. Hominis vero caro & appetitus sensitivus subordinatur intellectui & recto ejus iudicio, quod præscribit, quomodo sibi convenienter ferri debeat caro in bonum sensibus cognitum. Unde licet caro brutorum

C

seu

seu facultas sensitiva & rationalis sint facultates oppositæ, in homine vero sunt subordinatæ, non oppositæ, & appetitus sensitivus facultati rationali subordinatur, ut ejus imperio subsit. Unde etiam Aristoteles appetitum sensitivum hominis agnovit suo modo rationis esse participem, in quantum ejus imperio subjicitur. Quia igitur pars inferior hominis parti superiori per se subordinatur, nec opponitur, sequitur etiam appetitiones seu propensiones appetitus sensitivi in bona corporalia, & propensiones appetitus rationalis seu voluntatis, in bona spiritualia, per se non pugnare, sed potius sensitivi appetitiones subordinari rationali, ut in corporalia bona rectæ rationis præscripto convenienter & absque ulla pugna cum ea ferantur. Et sic, ubi non fuissent oppositæ vel contrariæ; sed subordinatæ propensiones, ibi nulla per se fuisset pugna, nulla bene agendi difficultas, cum una propensio alteram non impedivisset, sed inferior superioris jussui per se subordinata fuisset, non secus ac in statu integritatis appetitus sensitivus in bona corporalia propendebat appetitui rationali per omnia convenienter & sine ulla pugna. Hinc ipse Thomas, quem frustra aliò detorquet Bellarminus in primâ secundæ Quæst. 82. art. 3. ad primum: in tantum, inquit, *concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem. Concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis, inest homini Contra naturam*: En, non dicit esse contra donum supernaturale demum, sed prorsus contra ipsam naturam. Unde consequitur, si concupiscentia transcendens limites rationis inest homini contra naturam concupiscentiam quæ est secundum rationis ordinem esse homini naturalem, non supernaturalem: adeoque hominem in puris naturalibus spectatum futurum fuisse sine morbo, sine langvore naturæ, per se ex conditione materiæ orituro, & ultrò inclinatum ad subjectionem, rationis rectæ judicio, & porro ipsi DEO, facile præstandam, & hinc non ingiduisse freno supernaturali, tanquam remedio adhibendo, ut pars inferior superiori, superior facile DEO subjecta contineretur.

§. 29. Dices: Der unterste Theil der Seelen / darinnen der Mensch mit denen unvernünftigen Thieren überein kömpt / begehret nichts anders als was den Sinnen lieblich und angenehm. Resp. partem inferiorem habet homo communem cum brutis, tantum secundum esse genericum, quatenus est appetitus sensitivus, non tamen

men secundum esse specificum, quatenus est appetitus sensitivus hominis, qui suo modo rationis particeps, quatenus rationis imperio subordinatus per se est. Et ita nihil appetit quidem nisi sensibus jucundum & gratum, sed tamen non quomodocumque, non inordinate, nec brutorum more, sed per se rationis rectæ præscripto convenienter. Dices: Der oberste Theil der Seelen begehret daß was der Vernunft und Ehrbarkeit gemäß ist / das streitet mit einander nach der natürlichen Inclination und Propension dieser Kräfte der Seelen. Das derowegen der unterste Theil dem Obersten schlechter Dings gehorsam sey / dazu muß er in seiner natürlichen Inclination gehindert und zurück gezogen werden. Resp. quia appetitus sensitivus hominis per se bona sua appetit, rectæ rationi conformiter, nulla hic profus datur per se pugna propensionum naturalium appetitus sensitivi hominis, & rationis rectæ, tanquam virium animæ. Neque porro ut pars inferior simpliciter obediret superiori, ullo egebat retinaculo seu freno coercente & cohibente naturalem ejus inclinationem, hæc enim ultro propendebat per subordinationem Creatoris in ejus obsequium, & quamprimum contra rectam rationem inclinari cepisset, jam tum statum purorum naturalium deseruisset. Ferri in bonum sensibus cognitum est appetitui sensitivo ut sic, essentielle, & immutabile, neque sine eo esset appetitus sensitivus: Ferri in bonum sensibus cognitum sine directione & præscripto rationis, est de essentiâ appetitus sensitivi brutorum: sed ferri in bonum sensibus cognitum convenienter rectæ rationis præscripto, est connaturale appetitui sensitivo hominum, quatenus sunt naturæ rationales. Ferri denique in bonum sensibus cognitum inordinate & contra præscriptum rectæ rationis, est appetitus sensitivi peccaminosi.

§. 30. Dices: Non obstante quod Justitia Originalis dicatur donum supernaturale, recte etiam dici poterit donum naturale & internum. *Naturale*, quia naturæ Dreier. p. 141. & 144. statim concreatum, & cum naturâ fuisset propagandum, & sic congenitum, naturam humanam etiam perfecit atque ornavit. *Internum* quia formaliter intime in natura humana & potentiis animæ fuit, easque intrinsece denominavit. Neque etiam natura sine hoc dono supernaturali suam perfectionem, vires & operationem retinere potuit, unde amisso eo dono naturali, misere in omnibus viribus suis fuit depravata. Resp.

non sufficit (1) Iustitiam Originalem dictis modis dici naturalem, quia cum supernaturalitate ejus sunt compossibiles, sed requiritur ut sit naturalis in oppositione ad rō supernaturalē, exclusa omni ejus supernaturalitate (2) nec sufficit dicto modo esse donum hoc homini internum, quia & hoc cum supernaturalitate ejus stare potest, hoc enim modo omnes hodie habitus supernaturales, ipsa etiam infusa sapientia, & supernaturalis, erat donum internum: Sed requiritur, ut ita sit donum internum, ut intra ambitum connaturalium hominis contineatur, quo sensu si supernaturale donum dicatur, manet donum naturalibus hominis extrinsecum. Et licet (3) sine hoc dono supernaturali, seu dictis modis naturali, non retinuerit suam perfectionem supernaturalem, vires supernaturales & operationes, quas cum dono illo supernaturali exercere potuisset, & sic misere per absentiam seu amissionem illius doni, naturalis hoc modo simul & supernaturalis, in omnibus viribus suis v. c. intellectu, voluntate, appetitu sensitivo fuerit depravata, tamen si supernaturale naturali oppositum dicatur, sine eo omnino retinere potuisset perfectionem, vires & operationes naturales, supernaturali oppositas, quas per se, citra hoc supernaturale donum habitura & exercitura fuisset, & sic revera in suis naturalibus, supernaturali contradistinctis, integra post lapsum mansisset: & sic in re ipsa hęc explicatio nondum videtur Bellarmino esse contradictum, nec absurdum fuerit illud, quod ita tantum naturale & internum, comparare cum freno aureo, & vocare donum naturalibus externum, quo amisso nil ex viribus naturalibus, supernaturalibus oppositis, fuerit amissum.

§. 31. Dices: si naturale hic supernaturali opponitur, illudque excludit, sequitur Iustitiam dictam Originalem fuisse aut partem essentialē humanę, aut certe quod ex natura humanā profluxerit, uti facultates sentiendi & intelligendi earumque operationes. Hoc vero esse falsum, cum ex eo sequatur, hominem tali dono naturali amisso, amisisse, aut partem naturę, aut proprietatem essentialē, quod sapit Manichæismum. Vid. Dreier. *Erörterung* p. 144. seq. Sed Resp. nos negare illam consequentiam, non enim quicquid naturale homini dicitur, supernaturali oppositum, statim aut pertinebit ad naturam hominis, aut ex principiis naturę fluit, uti perperam arbitratur Bellarminus. Dantur quippe naturalia, de lege communi naturę humanę debita, quę
tamen

tamen nec sunt pars essentiæ seu naturæ , nec ex ejus principiis fluunt. Etenim noto notius est, illud etiam naturale vocari alicui, quod ei ad suos actus connaturales exercendos de lege naturæ debetur , & sine quo actus suos connaturales exercere nequiret, licet nec sit pars illius naturæ essentialis, neque ex ejus principiis necessariò fluat. Ita in sententia illorum philosophorum , qui statuunt *intellectum agentem* in homine non esse aliquid, quod vel naturam humanam constituat , vel ex ejus principiis fluat , sed potius esse ipsum DEI concursum cum phantasmatis , quo phantasmata materialia eleventur ad species intelligibiles & Spirituales producendas , & intellectui possibili imprimendas. Vid. Mendoza in suis disputationibus de animâ Disp. 5. Sect. 1. Juxta hos intellectus agens fuerit homini connaturalis , ipsi ad hanc effectiorem specierum intelligibilium spiritualium de lege communi debitus , minime vero supernaturalis , sed supernaturali oppositus , nec tamen vel est pars naturæ humanæ , nec ex principiis ejus fluit. Sed quia hoc exemplum alii in dubium vocant , en aliud. Concursus causæ primæ cum omnibus causis secundis in suis operationibus , ad suos effectus producendos , non est pars essentiæ causarum secundarum, neque ex principiis earundem fluit, & tamen non est causis secundis supernaturalis , sed naturalis , ut omnes communiter fatentur , idque ideo, quia de lege naturæ causis secundis ad suos connaturales actus & effectus producendos, debetur. Et ne longius abeam, contrasentientes contendunt animam hominis rationalem à DEO in generatione creari , & ex nihilo etiam subjecti produci , & tamen sentiunt hominem ab homine generari , non per actionem supernaturalem sed naturalem, & concursum illum creativum DEI esse homini generaturo connaturalem non supernaturalem , neque tamen ille concursus creativus quia connaturalis supernaturali oppositus , est pars essentiæ naturæ , neque ex principiis ejus fluit , sed potius ideo foret dicendus connaturalis, quia homini ad actionem illam naturalem generationis exercendam, de legi communi deberetur. Quia igitur *Justitia Originalis* , de qua hactenus disseruimus, homini non quatenus est vivum sentiens , sed quatenus est homo, & natura rationalis, ad exercendos actus suos connaturales , naturæ rationali convenientes , nempe ad exercendos actus cognitionis & appetitionis recti & boni rationi rectæ conformiter , de lege naturæ ita debetur, ut sine ea eos nunquam exercere potuerit, sed

potius actus rationi recte difformes exercuisset, quis asserere poterit, eam esse homini supernaturalem, aut quis diffiteri, eam omnino homini fuisse connaturalem, non vero supernaturalem. Ex quo consequitur, statum purorum naturalium Iustitiam hanc Originalem non exclusurum sed intime inclusurum fuisse, & sine eâ statum purorum naturalium non futurum fuisse purorum sed impurorum naturalium.

§. 32. Objici vero potest (1) si Iustitia Originalis primo homini fuit naturalis, mansisset omnino etiam post lapsum integra. Hoc vero est falsum Ergo & antecedens. Resp. Negando consequentiam, non statim quæ sunt naturalia post lapsum manere debuerunt integra, cum per peccatum originis ipsa etiam naturalia miserimè fuerint depravata, unde etiam post lapsum tantum quædam ejus reliquæ & ruderera supersunt. Oculi mentis instar vespertilionum caligant, remanentibus quibusdam tantum lucis primævæ naturalis scintillis, & luce ad primorum nobis cumque natorum principiorum notitiam, & virtutum quasi quibusdam seminibus & ruderibus.

§. 33. Objicitur (2) si Iustitia Originalis primo homini fuisset naturalis, salva hominis essentia amitti non potuisset. Sed contrarium testatur experientia. Ergo non fuit ei naturalis sed supernaturalis. Resp. rursus negando consequentiam. Scilicet naturalia in duplici sunt differentiâ, (1) quædam pertinent ad ipsam essentiam, vel certe ex eâ necessario ut propria quarti modi fluunt. (2) Quædam sunt tantum accidentales perfectiones, quæ salvâ hominis essentiâ adesse & abesse possunt, v. c. intellectiones, volitiones, appetitiones naturales, de prioribus conceditur totum argumentum, sed ad hanc classem naturalium non pertinet Iustitia Originalis. De posterioribus negatur consequentia: & huc pertinet Iustitia Originalis, quæ quidem fuit perfectio quædam hominis connaturalis, sed accidentalis & separabilis, quæ essentialiter quidem inhæsit homini, salva tamen essentiali perfectione, seu essentiâ, (non vero accidentali) amitti potuit.

§. 34. Objicitur (3) si Iustitia illa ad quam hodie renovamur, & dona illa gratiæ, ad quæ conversi in renovatione renovantur, sunt supernaturalia, sequitur Iustitiam Originalem, & olim fuisse supernaturalem primo homini, sicuti enim se habet Iustitia ad hominem renovandum, ita etiam se olim habuit ad hominem conditum. Antequam Respondeamus, sciendum, fieri posse, ut aliquid initio se habeat
ad

ad aliud prorsus tanquam ejus connaturale, postea vero, si amittatur, naturaliter reproduci seu reparari nequeat, sed si reproducendum, operatione supernaturali illud fiat necesse est, & sic quod initio erat naturale per se, illud nunc fiat illi supernaturale per accidens. Sic visus initio homini est naturalis per se, eiqve de lege naturæ ad suas actiones naturales debitus, si vero homini cæco nato visus restituendus, fit ei per accidens supernaturalis. Nec quia homini cæco nato visus per operationem Christi supernaturalem datus est, ideo etiam aliis hominibus per supernaturales operationes dandus. Sic vita prior, quam Lazarus habebat, ei per se erat naturalis, sed posterior, quam à morte resuscitatus habebat, ei per accidens erat supernaturalis. A privatione totali ad habitum naturaliter non datur regressus. Negamus ergo in argumento consequentiam. Licet enim ea, ad quam hodie renovamur, Justitia, sit per accidens supernaturalis, nondum sequitur ergo & Justitia quam primus homo omnium primo in creatione accepit, ei erat supernaturalis, nec quod hodie supernaturale est, illud simpliciter homini supernaturale fuit, etiam in primævo suo statu.

§. 35. In subsidium vocat Bellarm. lib. de grat. primi hominis c. 6. locum ex Ps. 8. v. 6. *minuisti eum paulo minus ab Angelis, id explicat hominem natura sua mortalem, ad eam gloriam evexisti, ut parum omnino ab Angelis abesset.* Sed Resp. (1) locum de Angelis necessario non loqui, (2) esto, non tamen dicitur eum naturam mortalem (quamvis enim in potentia remotam mortalis dici quiret, illa tamen non fuisset ex naturali necessitate in actum traducenda. (3) Per naturalia denique sua nempe intellectum, voluntatem & Justitiam Originalem naturalem, ita fuerit evehctus, ut parum omnino ab Angelis abesset. Deinde urget, dona primo homini collata, vocari *honorem & gloriam*, quæ coronavit eum Dominus, hæc vero sine dubio aliquid extrinsecum & superadditum, adeoque supernaturale designare. Sed Resp. (1) non omne extrinsecum & superadditum statim est supernaturale. (2) Nec sequitur, primus homo donis supernaturalibus fuit ornatus, ergo Justitia ejus Originalis fuit supernaturalis. (3) Ipsa natura rationalis, ejusque connaturalis Justitia concreata foret honor ille & gloria, quæ tamen propterea non fuerit aliquid homini extrinsecum & superadditum supernaturale. Denique (4) Psalmus, & verba Psalmi citati agunt potius de Christo, interprete Epist. ad Hebr. c. 2. 9.

§. 36. Objicit locum Ecclesiastici 17. 3. *vestivit hominem virtute.*

te. Indumentum autem inquit est extrinsecum quid, & superadditum. Resp. Negando omne indumentum esse extrinsecus superadditum, sic Hiob c. 10. 11. se pelle & carnibus dicit esse vestitum, & tamen hæc vestis ad intrinseca hominis & naturalia pertinet.

§. 37. Objicit etiam parabolam de vestibus spoliato Luc. X. Resp. (1) Scopus parabolæ non est explicare amissionem Justitiæ Originalis per lapsum, sed dilectionem proximi inculcare (2) per spoliationes vestium posset optime intelligi ablatis naturalium, quibus instar vestis ornabatur primus homo.

§. 38. Objicit porro: Naturæ ex spiritu rationali & corpore animali conflata naturale est habere diversas & inter se pugnantis proensiones. Resp. diversas concedimus, pugnantis inter se negamus, subordinatas potius adferimus adeoque pugnantia diversarum appetitionum carere, non erat donum supernaturale, sed conditio connaturalis, sine qua actus sibi connaturales exercere homo nequivisset.

§. 39. Quærit Bellarminus quæ ergo causa rebellionis carnis ad Spiritum? Resp. Adamus lapsu suo Justitiam Originalem connaturalem perdens, adeoque sequebatur rebellio ex remotione hujus doni connaturalis.

§. 40. Objicit: hodie per peccata non corrumpitur donum naturale ergo nec per primum. Resp. (1) negando antecedens vid. 1 Tim. IV. 2. & Eph. IV. 19. (2) negando consequentiam, hodierna peccata tantum sunt personalia, primum non tantum personale, sed etiam totius naturæ humanæ erat. Unde hoc toti naturæ donum connaturale auferre potuit. Hodierna dona naturalia cum peccato stare possunt, Justitia Originalis connaturalis non item: Ergo hæc amissa, illa permanere possunt.

§. 41. Objicit: homines qui sine Justitia Originali fuerunt, sunt resuscitati à DEO ergo & sine Justitiâ Originali primus homo poterat condi. Resp. (1) non quæritur an homo sine Justitiâ Originali potuerit condi: sed utrum ea fuerit connaturalis vel supernaturalis. (2) Negatur consequentia: Natura destituta sine Justitia Originali potuit resuscitari, integra vero sine eâ non potuit condi, quin culpa defectus in conditorem redundaret.

§. 42. Plura quæ objici forte possent, brevitatis studio, non adjicimus, sed hac vice terminalibus constitutis, DEO Ter optimo maximo gratas, laudesque immortales habemus, & cum referendo simus impari, pectore devotissimo agimus; ei sit honor & gloria
in seculorum secula.



AD
VIRUM

PRÆCELLENTEM atq; PRÆCLARISSIMUM,
DOMINUM
M. HEINRICUM SIVERTZ,

Gedanensem,

Amicum atq; victorem hactenus
suum jucundissimum,
Studiis felicissimè Rostochii excultis Pa-
triam suam repetiturum.

NON sedet animo, Vir præclarissime,
Nesquipedalibus verbis in laudes tu-
as prolixius exspaciari, Teq; superbis e-
logiorum ornamentis sive cumulare sive
onerare, singularis licet, quæ Te com-
mendat, certissima favoris & patrono-
rum pararia, eruditio, suavissimorum e-
legantia morum, omnem supercilii suspi-
cionem excludentium, & insignis vario-
rum virtutum sororio vinculo in Te con-
nexarum complexus, jure quodam suo,
sine etiam personatis, & ad hypocrisin

(

com-

compositis, juxta seculi nostri cacoëthes,
lenociniis, propitiâ veritate largam satis,
amplamq; encomiorum segetem, effla-
gitare videri queat; cum neq; inusitata il-
la, quæ ex vultu habituq; atqve convictu
Tuo elucet humanitas, neq; nativa am-
bitionis expers modestia tua, Te in os
quasi laudari desideret, neque tantarum
virtutum splendor ullius mangonii sit in-
dignus, aut emendicatum prolixiorum
commendationum apparatus sive affe-
ctet, sive admittat, qui se Solis coruscan-
tis instar eorum præcipue oculis animis-
que ultro insinuare queat, qui ex famili-
arioris consuetudine, teq; Tuosq; mores,
vitæque, quam iniisti, rationem propius
arbitrari velint, & tandem ex mente prin-
cipis illius Comitorum, verborumq; La-
tinorum, teste Agellio, elegantissimi, SAT
HABEAT FAVORUM SEMPER, QUI RECTE FA-
CIT, SI ILLIS FIDES EST, QUIBUS EST EA RES
IN

IN MANU. Illud interim ipsa veritatis vis
â me extorquet testimonium, ut, ex quo
licuit tecum mihi familiarius quotidie
conversari, nihil mihi moribus Tuis ju-
cundius, nihil eruditione tuâ insigni
præclarius, nihil incredibilis modestiæ
Tuæ temperamento suavius aut delecta-
bilis, nihil deniq; vitæ Tuæ apud nos e-
xactæ ratione, flagitiorum, aliis non inso-
lentium, nesciâ, fuisse unquam integrius,
diffiteri prorsus nequeam. Gratulor Ti-
bi, fautor honoratissime, potius de tot
eximiæ eruditionis Tuæ Theologicæ spe-
ciminibus, quibus acroateria, non tantum
quondam Lipsiaca, sed præcipue nostra,
non sine studiis & bonorum omnium ap-
plausu, qui dissertanti & ad objecta quæ-
vis feliciter respondententi, aurium hacte-
nus commodarunt operam, frequentius
calefacere, & cathedras animare quasi as-
suevisti, vel teste hæc ipsâ, eâq; jam quartâ,

X 2

dispu-

disputatione publicâ, quam intra quinque
vel sex mensium angustias, in luculentissi-
mum solidioris doctrinæ Tuæ documen-
tum in Orchestram Academicam & ami-
cabile prælium victor jam produxit ani-
mus. Abeas igitur non tam felicibus avi-
bus, quam fortunante conatus Tuos pro-
pitio DEO, tuosq; salvus atq; incolumis re-
dux saluta. Inveniant tantæ virtutis cona-
tus Mecænates, Evergetas, Promotores fa-
ventissimos. Dirigat benignissimus DEUS
studiorum Tuorum curriculum in exo-
ptatissimum portum, in nominis sui san-
ctissimi gloriam, Ecclesiæ orthodoxæ de-
licias & incrementa, in Matris optimæ so-
lida gaudia, & perennatura solatia, in flo-
rentissimæ familiæ decus, tuumq; ipsius
æternaturum emolumentum. Vale Vir
clarissime, vive DEO, Patriæ, Ecclesiæ,
Tuis, atqve omnibus bonis, & salve ex

T. T.

FRANCISCO WOLFFIO, D.





IN MANU. Illud interim ipsa veritas
â me extorquet testimonium, ut, quod
licuit tecum mihi familiarius quam
conversari, nihil mihi moribus Tu
cundius, nihil eruditione tuâ in
præclarius, nihil incredibilis mo
Tuæ temperamento suavius aut de
bilius, nihil deniq; vitæ Tuæ apud
exactæ ratione, flagitiorum, aliis non
lentium, nesciâ, fuisse unquam inte
diffiteri prorsus nequeam. Gratulor
bi, fautor honoratissime, potius
eximie eruditionis Tuæ Theologicæ
ciminibus, quibus acroteria, non tam
quondam Lipsiaca, sed præcipue non
non sine studiis & bonorum omnium
plausu, qui dissertanti & ad objecta
vis feliciter respondentem, aurium h
nus commodarunt operam, frequenter
calefacere, & cathedras animare quæ
suevisti, vel teste hæc ipsâ, eâq; jam quæ

X 2

